

AD

SOLENNEM PANEGYRICUM,
 REVERENDISSIMO, SERENISSIMO,
 AC CELSISSIMO PRINCIPI,
 DNO

AUGUSTO,

ARCHIEPISCOPATUS MA-
 GDEBURGENSIS ADMINISTRATORI
 POSTULATO, DUCI SAXONIÆ, JULIACI,
 CLIVIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVIO
 THURINGiÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET
 UTRIUSQUE LUSATIÆ, COMITI DE MAR-
 CA, RAVENSBERG, ET BARBY, DOMI-
 NO IN RAVENSTEIN &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,

IDUS NATALITIAS FELICITER
 CELEBRANTI,

SUBJECTISSIME DICTIS AUGUSTI IDIBUS,
 AUDITA XII.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
 DICENDUM,

DECANUS

FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN
 ACADEMIA LIPS.

OFFICIOSE ET AMANTER
 INVITAT.

LIPSIÆ,
 LITERIS JOHANNIS COLERI.





Vanquam sunt innumera, quæ mortalium in terris
Deorum decus augeant, famamq; & gloriam iisdem pariant
immortalem, dubitandum tamen non arbitramur temerè,
num res ulla laudibus ipsorum servire magis, quàm divina
virtus, Beneficentia, possit. Equidem beneficentia ac libera-
litate nihil hominis, cujuscunq; etiam, naturæ accommodatius esse, ut
Principi oratorum concedamus, non difficulter adducimur; Sed nec no-
bis negandum putabit idem, Principum virorum & naturæ, & fortunæ
hanc virtutem accommodatissimam & maximè propriam esse.
Θείοις ὄρεσαι νόμοις, ἔ ὑψες τὸ μετέωρον ὑποκαταβάινει δύναδι, ἔ μὴν
καὶ ἔμπαλιν τὸ ταπεινὸν καὶ γεῶδες Ἰπὶ τὸ μετέωρον ἀίρεται, inquit, citante
M. Piccarto, alicubi Eusebius, h. e. divinis legibus sanctum est, ut summa
imis per descensum communicent, non tamen quod humile ac terre-
num est, in sublime continuo se tollat. Quo monito, ex ejusdem Phi-
losophi Altorfini sententiâ, Principes, & quotquot Dei benignitas in e-
minentiori loco, dignitate, & fortunâ constituit, officii sui commone-
fiunt, ut inferioribus condescendendo se communicent: quod fieri po-
test modis multis, omnium autem maximè comitate & beneficentiâ.
Ecquis enim est, qui dubitet, divitis alicujus Nili alveum & ostia mayo-
rem agris suppeditare & aquarum & piscium copiam posse, quàm rivu-
lum sterilem, aut paludem exarescentem? Solemusne à rarioribus atq;
lucidis nubibus tantum telluri promittere pluviam, tantum foecunditatis,
quantum à densioribus & irriguo humore scatentibus? Plus à sole sanè
lucis, plus caloris orbis accipit, quàm à reliquo, pulcherrimo equidem,
coelestium flammaram exercitu. Plures effundi fructus posse, mayo-
remq; spargi umbrâ ab amplâ & procerâ arbore, quàm à frutice depres-
so, nemo est, qui negare ausit. Magnis igitur fluminibus, nubibusqve
foecundis ut, aridiori in fundo quæ deprehenditur, maximè tribuenda
venit foecunditas: ut Soli lumen: ut fructuum proventus umbrarumq;
levamen arboribus: ita nec propriâ Beneficentiæ gloriâ summos pri-
vandos esse Principes meminerimus. Fuerint sanè & in privatorum
numero, qui propemodum ipsius Liberalitatis habuerint (ut loquitur in
Agrigentini cujusdam Gilliæ laude Maximus) præcordia; fuerint, quo-
rum domus quædam quasi munificentiae credita officina; quive non
mortales aliqui, sed propitiæ fortunæ benigni sinus atq; receptacula fu-
erint visi; eorum tamen liberalitatem multis post se parasangis relinquit
Beneficentia Personarum illustrium, quippe cujus gloria & dantis per-
sonæ lumine, & magnitudine accepti, & perfruentium copiâ, tantum
semper augetur, ut omnem reliquæ privatae laudem facile superet & ex-
hauriat:

Obf. H. P.
Dec. 12.
c. 2. p. 351.

L. V. c. 8.

hauriat: verum propterea Principatum & Imperiorum fundamentū; quo titulo à Gregorio Nysseno, Basilii M. fratre germano salutata legitur. Nulla verò magis videtur Principem commendare Beneficentia, quàm quæ in sancta literarum confertur studia. Anima enim nostra quantum præstat corpori; quanto etiam animi bona corporis fortunæq; bonis majora sunt, tanto illustrior quoq; est beneficentia, quæ probam animi culturam, & vera hujus comparanda bona intendit. Literarum autem quando dicimus studia, non de iis sermo nobis est, quæ merito suo alicubi reprehenduntur à Seneca: De illis, ait, nemo dubitabit, quin operose nihil agant, qui in literarum inutilium studiis detinentur: quæ jam apud Romanos quoq; magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærerere, quem numerum remigum Ulysses habuisset: Prior scripta esset Ilias, an Odyssæa? Præterea an ejusdem essent auctoris? Alia deinceps hujus notæ: quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant; sive proferas, non doctior videberis, sed molestior. Et in eandem sententiã idem Philosophus alibi: An tu existimas, inquit, reprehendendum, qui supervacua usu sibi comparat, & pretiosarum rerum pompam in domo explicat? non putas eum, qui occupatus est in supervacua litterarum supellectile? Plus scire velle, quàm sit satis, intemperantiæ genus est. Quid, quod ista liberalium artium confectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, & ideò non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt? Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit: miser, si tam multa supervacua legisset. In his libris de patriã Homeri quæritur, in his de Æneæ matre verã: in his, libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit, & alia, quæ erant dediscenda, si scires. Quod vitii & Grammaticis lepidè olim à Tiberio objectum legimus; qui, autore Tranquillo, quæstionibus hujusmodi: quæ mater Hecubæ; quod Achilli nomen inter virgines fuisset; quid Sirenes cantare sint solitæ? eosdem experiebatur. Ejus profectò farinæ literæ ut Principum favore atq; beneficentiã dignæ, tantum nostrã quidem abest sententia, ut ex liberalium artium atq; facultatum officinis proscribendæ prorsus, & in ultimam ablegandæ Thulen videantur. Reipublicæ utiles, & salutares ecclesiæ oportet esse literas, quarum studia Principis juvari Benignitate gestiunt. At verò operam reipubl. proficuum quæ, inquis, ratione præstabunt literæ, ex imperantibus quæ non nisi crudeles, avaros, immanesq; faciunt tyrannos? Quam equidè culpam satis gravẽ innocenti literarum studio impingi, non sine admiratione legas, a Cœlio Rhodigino, antiquarum lectionũ autore non obscuro. Quotquot, ait, (audiendus enim, ne sententiã non auditus audiat) ex Philosophorũ progressi scholis tyrannides arripuere, crudeli, avariùs, immaniùsq; eas exercuisse comperiuntur, quam ignari prorsus literarũ. Et ne gratis id dixisse putetur, exempla quædam in subsidiũ vocat: Patriam libertatẽ, addit, obsecro vos, quanta feritate Atheniensis Ariston, Epicureorũ innutritus scholis, oppressit. Annon ante illũ etiam Critias? quiq; cum Critia Philosophiæ mysteriis sunt initiati? Quid verò de Pythagora dicã? Quid de illis ipsis septẽ sapientibus, aliisq; qui maxima-

L. debrev
vitz c. 13.

Ep. 88.

L. XXII,
c. 21.

rũ

FX Na 4310

rum rerum pondera subire adorti sunt, nonne imperio usi crudelissimè deprehenduntur? Athenionis ex Athenæo nimio plus apud Athenienses crudelitas Mithridatico innotuit bello. Nec Lyfiæ Tarsensis Tyrannis ex Philosophorum scholis latet, quem cum Stephanophorum allegisset patria, i. e. Herculis sacerdotem, arreptum semel imperium non abjecit, tyrannum agens ex professo. Quâ hominum sævitia sanguinariâ commotus Demochares, sive is fuerit Crates, lepide fertur dixisse, sicuti ex thymbrâ lanceam nemo concinnarit, ita nec ex Socrate in culpatum militem. Siccine verò, Rhodigine, temet affecutum putas, quod instituisti, literatos scilicet ad gubernandam rempublicam esse ineptos, ignarosq; profus literarum rectè illis anteferri? A quonam autem hoc inducendi artificium es edoctus? Tibine proba statim ex uno alterove singulari nascitur inductio, aliis ex omnibus? Verum quid decretoriis opus est armis, ubi leviora sufficiunt? Quis quæso est Ariston ille, quem primum in acie locare voluisti? Innutritum audimus esse in scholis eorum, qui non nisi voluptatis patrocinium susceperunt, q. e. Epicureorum, Epicureis autem principiis nixam sapientiam ut commendare reipublicæ velimus, absit. Probam intelligimus, & ex sanæ rationis principiis, bonarum literarum artiumq; adminiculo, haustam, non ex depravatis affectibus. Falsa illa tyrannidem fortè incendat, libertatem opprimat, avaritiam augeat: vera nunquam. Critias dein, & quem indice monstrare videris digito, Alcibiades, utinam Philosophiæ mysteriis verè initiati, imò tincti & imbuti planè fuissent, nunquam eò crudelitatis essent progressi. Quid verò mirum, si literarum extremum odium, Sapientiæ fuga, hostilisq; sapientum persecutio, Tyrannum omnium tyrannorum crudelissimum producant? Pythagoram, septemq; Sapientes in tyrannidis incidere *καταπορίαν*, omnium historicorum adversatur fidei. Tyrannidem Samius ille si exercuit, contra vitia eam exercuit; maximè ubi Crotonienses luxu perditos ad frugalitatem & justitiæ studia æternâ cum laude revocavit. Optarem a, è septem illis vel unum produxisses, tyrannidis nomine ullibi accusatum. Quod cum facere non valueris, quis plura, quàm par fuit, tuo te indulxisse calamo, non animadvertit? Mutum q. Periandri consilium (qui nil Thrasibuli nuncio respondit, sed extantiores modò in illius præsentia demetendo spicas æqvavit segetem) Philosophus in politicis suis defendit, rectaq; in republ. locum qq. habere ostendit. Athenionis causa in belli obscuro est: quare an Tyrannum egerit, nec ne, incertum. Pluribus literarum & literatorum innocentiam adversus Rhodiginum nunc asserere, operæ putamus dispendium. Sit Lyfias tyrannus; nec Demochares in Socratem abstinerit scommate; quid tamen inde? Ver non una dies, non una reducit hirundo. Neq; tantæ Demochares autoritatis est, ut ipsi soli habenda fides, nulli præterea. Quid si communem cum Luciano, aliisque quam plurimis traxerit morbum, nec nisi de bonis malè loqui potuerit? Quorundam igitur ex sapientum scholis non progressorum, sed ante diem elapsorum, imò profugorum tyrannis nil quicquam literarum sapientiæq; in rep. utilitati potest officere. Cui n. bono regni Patrii sceptrâ consecutus Salomon sapientiam modò, nullâ opum, potentiæ nullâ, nullâ Sociorum factâ mentione, à Deo petiit, si nullus sapientiæ literarumq; usus in gubernandâ republica? Quidni Achilles, aut Ajacis, sed Nestoris decem similes sibi, quò Trojâ potiretur facilius, optavit Rex Regum, Agamemnon? Relinquetur igitur nobis, sancta literarum studia reipubl. non esse inutilia, ne dum perniciofa; sed Principis benignitate atq; gratiâ nunquam non dignissima.

Quam divinam in Principe benignitatem quòd hætenus quoq; Politissimi Juvenis, HENRICI DAUDERSTADII, Jurisprudentiæ Cultoris indefessi, studia gratiosissimè sint experta, non committendum is sibi putavit, ut Reverendissimi, atq; Serenissimi Principis, DN. AUGUSTI, ArchiEpiscopatus Magdeburgensis Administratoris Postulati, Ducis Saxon. Jul. Cliv. ac Mont. Domini Sui Benignissimi, ac Nutritoris nostri Clementissimi propriæ ac Natalitiæ Idus absq; humillimâ gratulatione, in ipso præsertim tantorum beneficiorum cursu, transmitterentur. Quod subjectissimum optimi Juvenis, præclariq; Parentis filii consilium cum omnibus juvare modis nostrarum sentiremus partium, institutum Panegyricum, Principi Augusto, Augustis Idibus (quas vitæ salutisq; omnis autor Deus in seram usq; posteritatem multiplicet Celsissimo Principi felicissimas!) à grato homine dicendum, non potuimus his ipsis non indicare. Cum igitur lucis ac gratiæ plurimū ex honorificâ Magnifici Rectoris, utriusq; Reip. Procerum, universorumq; Academia Civium præsentia ac favore accessurum huic sit; universos atq; singulos ut d. 13. Aug. horâ XII. Auditâ, eadem dicto oratori in Auditorio nostro ad breve tempus commodare, tacitoq; sic simul pectore & gratiosâ panegyri faustum hunc summo Principi, Academiae Nutricio clementissimo, Natalem & gratulari, & similes quam plurimos devoto studio Eidem apprecari velint, cum honoris præfatione debitâ, & mutuorum officiorum studiorumq; nostrorum oblatione prolixâ, peramanter rogamus. P. P. prid. Idus Sextiles M DC LXXI.

46

1072



2. 11

(x 200 2450)

Xa
4316

AD

SOLENNEM PANEGYRICUM,
REVERENDISSIMO, SERENISSIMO,
AC CE NCIPIT,

AU
ARCHIE
GDEBURGEN
POSTULATO
CLIVIÆ ET
THURINGIA
UTRIUSQUE
CA, RAVE
NO

TO,
TUS MA-
STRATORI
Æ, JULIACI,
ANDGRAVIO
MISNIÆ ET
MITI DE MAR-
ARBY, DOMI-
IN &c.

DOMINO N
IDUS NA
SUBJECTISS

MENTISSIMO,
LICITER
GUSTI IDIBUS,

DE
FACULTA
OFF

US
OPHICÆ IN
ANTER



LIPSIÆ,
LITERIS JOHANNIS COLERI.

